



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Policratici Contenta

Johannes <von Salisbury, Bischof>

Parrhisius, 1513

De aruspibus/ & chiroma[n]ticis/ & phitonicis/ & saulis deieiectione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70332)

sim iussit ab aula recedere: sed vt traditur a maioribus incendio dedit reprobate lectionis scripta: palatinus quecumq; tenebat apollo. In quibus erat precipua qui celestium mentem & superiorum oracula videbantur hominibus reuelare. Quid multa? Nonne satis est qd hanc vanitatem catholica & vniuersalis ecclesia detestatur: et eos qui vltius eam exercere presumpserint legitimis penis mulctatur. Sed ne planetariorum non tam persequi q sequi videamur errorem: iam ad reliqua progrediatur oratio. Qui enim huic curiositati inseruiunt non magis veraces esse possunt q humiles & sobrii qui primos recubitus in cenis appetunt & epulatur quotidie splendide. Postremo plurimos eorum audiui: noui multos sed neminem in hoc errore diutius fuisse recolo: in quo manus domini condignam non exercuerit ultionem.

¶ De aruspiciibus & chiromanticis & phitoniciis & saulis deiectione.
Capitulum. XXVII.



Vid de nigromanticis dicant: quorum impietas deo auctore per seipsam ubiq; iam viluit: nisi q morte digni sunt / qui a morte conantur scientiam mutare? Nam de aruspiciibus / auguribus / salissatoribus / ariolis / phitoniciis / aruspiciibus & aliis quorum pre multitudine / tediosa est enumeratio: productiorem sermonem texere / cum nemo istorum iam progrediatur in lucem: sed in latibulis si quis est exerceat opera tenebrarum superuacaneum est. Quedam tamen eorum certis de causis aliquatenus tangenda sunt. Et si lateant sup sunt ad huc malo suo aruspices. Hos p parte extis animalium diuinare predictum est. Extorum quidem censentur nomine omnia que cutis extremitate teguntur: vnde & illos qui in humerulis arietum vel quorumcumq; ossibus animalium vaticinantur: eis connumerandos esse manifestum est. Chiromantici quoq; vera que in rugis manuum latent se nosse gloriatur. Quorum errorem: quia ratione non vtitur: necesse est rationibus impugnare: licet eo ipso illos expugnet ratio: q deficiunt ratione. Vnum tamen est quod a te si me patienter audias attentissime quero. Quid nugatores isti (quoniam eos tibi notos non ambigo) quando de dubiis interrogati sunt puerunt? Cum aduersus ninicollinos britones regia esset expeditio pducenda / in quo te consultus aruspex premonuit: quis ab eo veritat / archanum non fuerit inquirendum: q excubiali obsequio cocinator medacii potius credendus erat q occulte veritatis iterpres. Vulgo siquidem cum quis mentiendi nota iuritur dici solet: quia quouis excubo / vigilius medacior est. ¶ Item chiro-

vt extra de hereticis. p totum

Mali sermones bonos mores corrumpunt. Matth. xxiij.

De nigromanticis.

De aruspiciibus

Chiromantia vnde dicitur.

Ninicollini.

Polícratíci de Curialiū nugis.

manticus adhibet⁹ et consultus quid cōtulit² Nam sub eo articulo vterq; quisquis hic egerit cōsultus est. Tu quidē paucis dieb⁹ elapsis: quasi stellā matutinam generis tui nō premonit⁹ perdidisti. Cetera q̄ meli⁹ nosti sciēter taceo cū isti vanitate sua me-

De phitonice.

ruerint ne vteri⁹ cōsulātur. ¶ Phitoniconum vero eo perniciofior est cōsultatio: quo fallacia malignorū spiritū in his manifestior est / qui siue mētiātur siue nō / in proposito semper habēt vt noceāt. Fallunt autē interdū studio fallēdi: interdum cecitatis sue errore decepti. Id tamē agunt assidue vt futuroꝝ consciū p omnia videātur. Inde est q̄ ambiguitate verborū obnubilare studēt oracula: vt cū mēdaces aut fallaces inuēti fuerint: aliquo rationis velamento suā queant tueri fallaciam. Sic vtiq; fallere non desistūt: donec auditores suos p̄cipitēt in ruinā. ¶ Cui em̄ a seculo vatum profuere responsa² Creso ne an pirro aut preces-

Dux theban⁹ quō oraculo deceptus fuit.

dentium an subsequētiū cuiq;² Dux theban⁹ dum de oraculo sperat victoriam: fratris mucrone perfoditur. Ei tamē anus lanus success⁹ belli visus est polliceri. Quid em̄ aliud significaret quod post multas ambages intulit: certa est victoria thebis²

¶ Ceterū ne interprete duce mēdacii arguatur: vt fallaciā ambigua veritatis nota obduceret / quo maliciam tueatur subiecit. Hei mihi per gladios vicit pater. Sic ergo dum quasi fatorū consilio securus ad parricidiū inuita² laqueo impietatis trahit² ad occasū. Patris quoq; parricide desiderii adimplet²: dum fratres impii quib⁹ imprecatus optauerat / vt ferro generis cōsortia diffiliret: mutuis vulneribus peremit: & alternis gladiis prosterntur. Cresus maxima regna si halin trāsgredia²: de oraculorum fide sibi subiecta iri cōfidit. Sed cū res in contrariū cesserit fallax apollo se vnus verbuli equocatiōe absoluit ab inuidia mētiēdi.

Pirrus rīso apollinis delusus fuit.

¶ Quid pirrus² Romanis victis quos sepe i acie virtute fuderat bñficio phebi sibi pmittit imperiū: s; irrepabiliter strat⁹ in seipsū retorfit culpā / qui āphibologiā oraculi min⁹ vtiliter intellexit. ¶ Ad notiores trāseatur hystorias. Api⁹ cū vnica & singularis ciuiliis belli tēpeestas vrbe concuteret: docēte phebo in sinu enboico quietē querit & mortē inuenit. Oraculū quidē auctore lucano celebre est. Effugis in gētes tanti discriminis expers bellorū romane minas. Solusq; quietē: enboici lateris media cōualle tenebis. ¶ Sed ne falsitatis nota in hystorias nō oracula refūdat: canonica & cui fides incolumis acq̄scit² discutiat² hystoria. Saul in tyrānū versus ex principe / cū exigētib⁹ culpis esset a dño derelict⁹: & aduers⁹ populū domini eo duce inualefce-

De Saul qui dñi indignati²

ret a dño derelict⁹: & aduers⁹ populū domini eo duce inualefce-

ret man⁹ hostilis: sollicit⁹ fractis rebus exitum inquirebat. Con-
suluit ergo dominū / & nō respondit ei neq; p somnia / neq; p sa-
cerdotes: neq; per prophetas: hoc tñ ei ante denūciauerat samu-
el: quia dñm penitebat q̄ eum constituerat regem eo q̄ non im-
pleuerat verbū domini suadente auaricia parcēs agag regi pin-
guissimo: & opimis gregibus ouiu et armētorū: et vestibus &
arietibus & vniuersis que pulchra erāt in oculis populi: qcquid
vero vile fuit et reprobū / hoc mandante domino demoliti sunt.
Et cum nulli ducū nisi de manu domini exercituum contingat
victoria: auctori bonorū nō referens gloriam viribus suis in fa-
cie populi de collato munere applaudebat. ¶ Sic em̄ scriptum
est: factum est verbum domini ad samuelem. Penitet me q̄ cō-
stituerim saul regē: quia dereliquit me: et opere verba mea non
impleuit. Contristatus est samuel: & clamauit ab dominū tota
nocte. Cumq; de nocte surrexisset: vt iret ad saulem: mane nun-
ciatū est samueli q̄ venisset saul in carmelū / & erexisset sibi for-
nicem triumphalem: & reuersus transisset / descendissetq; in gal-
gala. Deinde ad increpatiōes samuelis crimē inobedientie sub
pretextu religionis maluit excusare q̄ delere p̄ p̄niam q̄ secūda
tabula post naufragiū relicta est p̄ctōri. Ait em̄. Immo audiui
vocē dñi: et ambulauit in via per quam misit me domin⁹: et ad-
duxi agag regē amalech: et amalech interfeci. Tulit autē popu-
lus de preda oues et boues primicias eorum que cesa sūt vt im-
molentur dño deo viuo in galgalis. Ecce quō seipsū excusat: &
quicquid culpe est aut extenuat: aut refūdīt in populum. ¶ Ait
ergo samuel: nunquid vult dominus holocausta & victimas: &
nō poti⁹ vt obediatur voci dñi? Melior est em̄ obedientia q̄ vi-
ctime: et ascultare mag⁹ q̄ offerre adipē arietū. Quā quasi pecca-
tum ariolādi est repugnare: & quasi scelus idolatrie nolle acqui-
escere: pro eo q̄ abiecasti sermonē dñi: abiecit te dominus ne sis
rex. Ego q̄dem similiter arbitror euenire omnibus qui in subli-
mitate constituti abeunt post concupiscentias suas / & princi-
patum diuinum simulantes / tumorem suum exercent in subdi-
tos: coequentes libito licitum: ac si colla eorū iugo diuine legis sub-
iecta non sint: & nulla necessitate vrgeantur ad implendam ius-
ticiam dei. ¶ Sed nunquid vel sic ad tantum tonitruum com-
minatiōis diuine sinderetis pectoris indurati: aut tumor qui ty-
rānid⁹ iūqtate in corde saulis viuari⁹ coaluerat potuit emolliri?
Nequaq̄. Dixit ei saul ad saule: peccaui: q̄a p̄uaricat⁹ sū s̄monē
dñi: & verba tua / timēs populū / & obediens voci eorū. Sed n. tē

onē incurrit / r
ppter quam
causam.
1. Regū. iij.

porta queso peccatū meū: & reuertere mecum vt adorem domi-
nū. Et ait samuel. Non reuertar quia proiecisti sermonē domi-
ni: & piecit te dñs ne sis rex super israel. Vides ne q̄ difficile sit
maliciā cū superbie fomento coaluerit verbis & exhortatiōe cu-
rari? Peccauit inqt timens populū / & obediens voci eorum. Nō
ne sic fatetur culpā: vt potius inuoluat alios: qui si princeps esset
fuerāt relaxandi q̄ seipsū expediat? ¶ Nūquid sic audierat fe-
cisse moysen: cū ira dei seiret in populū: dixissetq; ei dominus
dimitte me: vt irascatur furor me⁹ in pplo: & deleam eum: & fa-
ciā te crescere in gentē magnam? Quid ergo fecit dux idēq; fi-
delis princeps in beneplacito suo constitutus a dño? Aut dimit-
te inquit eis hanc noxā aut dele me de libro tuo. Sed nūquid in
tante charitatis affectu propriam querebat gloriam? Inqt enim
māfuetus princeps: pius pater: disertus orator: potens in opere
et sermone: dux preambulus in iusticia mandatorū dei. Dicent
egyptii. Callide duxit eos dominus de egypto: vt prosterneret
in deserto. Sic ergo etiam sui ipsius dispendio domini gloriam
preoptabat & populi cui⁹ ducatum ministrabat liberationem.
¶ Dauid quoq; cum culpa eius dominū ad iracūdiam prouo-
casset: & principalis culpe subiect⁹ popul⁹ portaret penam: vidit
angelum dei cedētem populum. Fudit itaq; preces de intimis
precordiis et adiecit. Ego sum qui peccauit: ego inique egi: isti
qui oues sūt quid fecerunt? Verus utiq; rex & iustus princeps /
& dign⁹ qui altissimi frangeret iram: q̄ dum se p̄ populo flagel-
lanti domino opposuit indignationis eius flagellū amouit. Eū
siquidē nulla excusatio flectit nisi cū quis proprio iudicio accusa-
tur. Nihil mouet ad veniā nisi cum nocēs nudam detegit culpā
Misericordiā nihil ammonet nisi cum anim⁹ charitate succē⁹
in seipso conteritur: nihil persuadet propiciandū esse: nisi cum
mens manu operis extēdit ad satisfaciendum. Si quis enī fatef
culpā inutilis est confessio nisi satisfactionis animo currat ad ve-
niam. ¶ Peccauit inquit iudas tradēs sanguinem iustum. Fuit
vtiq; vera vsq;q; cōfessio sed inutilis: quia ante cucurrit ad laq̄-
um quem meruerat q̄ ad fontem misericordie quā demeruerat
et obstinationis sue duricia p̄clauserat sibi. Eum tamē penituit
fecisse quod fecerat: sed nō eo deuotionis affectu qui lapidē adiu-
torii sufficeret emollire. Penitentia siquidē ductus / laqueo se su-
spendit. Vitam ergo digno finiuit supplicio: sed quia maliciam
nō correxit: veniā sibi nullo procurauit remedio salutis. Sic enī
& apud inferos scribitur esse stimulus penitudinis: licet nulla sit

Exodi. xxxij.

Ibidem.

Moysen come-
mendat.

Preces quid
operantur.

Matth. xxvij.

correctio prave voluntatis. ¶ Sic ergo saul p̄culdubio peccatū suū imponere nititur humeris alienis: & dum simulat q̄ a pena velit per preces samuelis eximi seipsū graui⁹ oneratum fortiorib⁹ laqueis inuoluit: & irreparabili sententia dānationis astringit. Sequit̄ enī. Et p̄uersus est samuel vt abiret: ille autē apprehendit summitatē pallii eius que scissa est: & ait ad eū samuel. Scidit domin⁹ regnum isrl̄ a te hodie & tradidit illd̄ pximo tuo meliori te. Porro triūphator in israhel non parcat: & penitudine nō flectet. Neq; enim homo est vt agat penitētiam. At ille ait peccauī. Sed nūc honora me corā seniorib⁹ populi mei & corā israhel: & reuertere mecū vt adorē dñm deū tuū. Ecce quāta elationis isania. Se deiectū audit a dño et tñ q̄si eo inuito regnare p̄tēdit regnū meliori traditū esse nō ambigit: et priuat⁹ p̄ suam irretractabilē regni gloriā fraudulēter vsurpat. Corruit itaq; dū in vetitum molitur ascendere: & fit seipso deterior: meliori reclamāte domino vult preferri. Fatetur quidē culpam: sed penā portare dedignatur. Hoc est enim quod ait. Peccauī: sed nunc honora me. Ac si dicat: cum criminis culpa elationis fastu: tirāni nequitia: iuste deiectus cōtemni meruerim me patiētia tua in conspectu eorum qui non nouerunt consilio domini faciat gloriosum. Reuertere ergo mecum vt tuo incedam fatigatus obsequio: & tanto stipatus comitatu: tanta venerabilis auctoritate: adorem dominū deum tuum: quem meum vltra dicere non audeo: qui ab eo per inobedientiam discessi: et adhuc per contumaciam recedo. ¶ Adeo siquidem intumuerat spiritus ei⁹ vt non modo homini sed et ipsi deo seipsum quodammodo proprie impietatis ausu preferret. Quem enim dominus pretulerat quanto maiori gratia videbat preditum: tanto acriori iniuria ei occultas tendebat insidias tā manifestas q̄ iniquas exercēs inimicitias: & quo manifestius eum dominus extollebat: eo auidius nō tā deprimere q̄ extinguerē properabat. Ipsi quoq; deo se e regione ponit oppositum: dum ei surripere aut eripere nitit̄ iura regnoꝝ. Dignū ergo fuit vt nō maneret ī eo spūs dñi q̄ cor suū nō mō habitaculū: sed et tāte nequitie fecerat fūdamentū. Exagitauit enī itaq; spūs neq; a dño: et ex illo retro fluere & idies labi: minui regni vires ceperūt: sal⁹ ppli fluctuare: hostiū crebrior maior clariorq; victoria tā regē q̄ ppli validi⁹ aīos fregit. Ipse tñ eū cui dñs regnū firmauerat extminatū habebat a finib⁹ suis. Quid ergo tādē cepit p̄siliū: nō utiq; vt regnū traderet meliori: vt dispositiōi diuine que ei innotuerat acquiesceret

1. Regū. xv.

Regni saul priuatio.

Istō sn̄as dei irretractabiles: ideo caue tibi ne dñm deū nostrum irascaris.

Polícraticí de Curialiū nugís.

Belboe mon-
tes.
i. Regū. xxxi.

i. Reg. xxviii.

iii. Regū. iij.
iii. Regū. xj.
Matth. xxvj.
Mat. ix. Luc.
xxij. Jo. xvij.
Nō q̄ mulie-
res sept̄ replē-
tur istis spiriti-
bus dyabolicis
q̄ homines.

vt p̄niam ante finem vite ageret fructuosā. Sed qui aduers⁹ do-
minū calcaneum tumoris extulerat/ populum in mōtes gelboe
vbi puniēdus et occidend⁹ erat: eduxit in prelium: Occidi siqui-
dem in mōte debuit: qui nō nisi alta in seipso respexit. ¶ Quia
ergo eum veritas ipsa deseruit ad fōtes mendaciū fall⁹ et iniqu⁹
princeps cōfugit. Dixit itaq; seruis suis. Querite mihi mulierē
habētem phitonem: & vadā ad eā et sciscitabor ab ea. Quid ali-
ud dixisset gentilis idēq; perfid⁹? Nonne idē est ac si dicat. Fle-
ctere si nequio superos acherōta mouebo? Aut fidelioribus ver-
bis et infaniori perfidia. Si mihi de⁹ noticiā subtrahit veritatis
eam tamē per patrem mēdaciū eo inuito cognoscā et velit nolit
archanū cōsiliū eius et potestates aduersarias explorabo. Et dia-
xerūt serui ei⁹ ad eum. Est mulier habēs phitonem in endor. In-
dign⁹ enim erat consultatione virili quem intātum desperatio
fregerat: vt etiam ab infirmis et infirmis creaturis ad tueri-
dum sibi regnū quod domin⁹ auferebat aduersus omnipotentiam
eius auxilium imploraret. Mutauit ergo habitum suum/
vestitusq; est aliis vestimentis & abiit ipse & duo viri cum eo:
venerūtq; ad mulierem nocte. Recte quidem omnia: quia rect⁹
est etiam apud peruersos spiritus sanctus. Regio namq; habitus
debit spoliari: qui ad seruiēdum demonibus & non deo infau-
stum arr ipuerat iter: qui vestē abiecerat innocētie/ qui iustitie
mutauerat indumentum/ vestibus honoris et glorie nō debuit
insigniri. Et abiit utiq; post eū qui non stetit in veritate. Et duo
viri cum eo: equidem inominati/ & ignobiles: qui vī regem ad
tantam perfidiam non reluctāte fide prosequi potuerunt. Duo-
rumq; rex decenter stipas comitatu dum a summa & vera vni-
tate recederet. Veneruntq; ad mulierē nocte: apto utiq; tempo-
re de morte regum: de strage populi: de luctu publico cum tene-
brarum principe tractaturi. Sic & salomō nocte dicif sapientiā
accepisse: q̄ amore mulierum allectus et corrupt⁹: a dño erat re-
cessur⁹. Petrus quoq; dū calore fidei destitutus calefaceret se ad
prunas de nocte: laps⁹ est in perfidiā: & eā crimine perimii fecit
insignē. Alii etiā discipuli timore p̄strati: tpe nocturno sugerūt
Et ait saul ad mulierē. Mulieres enī frequēt⁹ spiritus phitoni-
cis iplet. Diuina mihi in phitone & suscita mihi quē dixerō tibi.
¶ Lege libros reuolue hystorias: scrutare omnes angelos scri-
pturarū: nusq; fere in bona significatiōe dñationē inuenies. Vñ
pphetas reprobos diuinatores non pphetas esse scriptura com-
memorat/ quales fuerūt pphete achab: qui eum dño permittēte

exigentibus meritis variis iudificatiōibus seducebant. Deniq̄ iuxta verbum dñi egressus est spūs mendax: & factus est in ore oīm prophetarū achab ascēfuro in ramoth galaad p̄spera p̄mittentes: solo michea filio morastite reclamāte: qui cōsciū dñm cōsiliū israel quē dispersū viderat in montib⁹ premuniuit: cesus ob amate veritatē iudiciū: ab eo q̄ assūptis cornib⁹ ferreis dixerat: his rex cornib⁹ siriā vētilabis. Preterea diuinatio fere sine munere non fiebat: vtpote que in auaricie & nequicie spū exercet. Hinc etiā est q̄ hierusalē nūture/spūs sanct⁹ īproperat: iudices tui in muneribus iudicabant: sacerdotes in mercede respōdebāt: & prophete in pecunia diuinabant: & super dominū regescebant dicentes. Nōne dominus est in nobis? Non venient super nos mala: propterea dicit dominus. Syon quasi ager arabitur: & hierusalem vt custodia pomerii erit. Qui ergo in pecunia dominabāt & si prophetarum insultant nomine sepe mendaces/semper mēdosi/alieni sūt a virtute & veritate prophetie.

¶ In phitone inquit: quasi. d. Quia recessit spirit⁹ domini: vel phitonic⁹ patrocinef mibi. ¶ Et suscita mihi quē dixero tibi: vtiq̄ fallacia fallaciam trudit. Datus rex in sensū reprobū qui sibi persuaserat phitonem scientie presulem presciū futurorū archani cōsiliū cōsciū: veritatis interpretem: sibiq̄ persuasit eundē tāta preditam ptāte: vt posset etiā mortuos suscitare: & tante benignitatis: vt etiam in eo quod rarissimum est/ & difficillimum: familiaribus suis morem gereret. ¶ Proculdubio elapsū erat a memoria eius: aut inutiliter tenebat canticū fidelis aīe q̄ dñs est q̄ mortificat & viuificat: deducit ad iferos & reducit: paupē facit et ditat: humiliat & subleuat: et qd̄ in seipō īpletū viderat saul: suscitāt de puluere egenū vt sedeat cū p̄ncipib⁹ et solū glorie teneat: & q̄ hec facit p̄culdubio sciētia: domin⁹ est.

¶ Et ait mulier ad eū. Et ecce tu nosti quāta fecerit saul: et quoniam eraserit magos et ariolos de terra. Quare ergo īsidiaris aīe mee vt occidar? Et iurauit ei saul ī dño dicēs. Viuit dñs: q̄ non eueniet tibi quicquid mali p̄pter hāc rem: verum quidē est quia qui versatur in sordib⁹ sordescit amplius: & quem gratia deserit/ fiunt semper nouissima illius deteriora prioribus. Sacrilēgii sibi phitonissa conscia expauescit: & potestas a domino constituta ad sacrilegia euellēda/ alas quidem timida/ cum negotia populi/ cum domini bella geruntur idolatris prestat audaciā: & sacrilegiis regiam accomodat auctoritatē. ¶ Ariolos (inquit domin⁹) & magos ne patieris viuere. At ille ad quem

iij. Regū. xxij.

Michae. iij.

j. Reg. xxvij.

j. Regū. ij.

Leuitici. xx.

sermo dei dirigitur / & qui gladium portat ad vindictā malefactorum & gloriam bonorum: nō modo talibus securitatem dat: sed promissam pacem iuramēti religione confirmat. Et sic euenit vt in proprio periculo discat: q̄ perplexi sint nerui testicularum leuiathan: cum sibi tetēderit laqueum ppriū operis: a quo sine salutis dispendio non euadit. Et iam arcta cōplexio & cornutus quidem imminet sillogismus. Si phitonisse parcutur / domini violatur imperium precipiētis vt maleficia eiusmodi de terra eradātur. Si non parcutur iuramēti religio vitiatur. Quociq̄ se vertat impius: cōprehenditur in operibus suis. ¶ Dixit ergo mulier. Quem suscitabo tibi? Qui ait: samuelem. Omnium temporum vna est fides / deum esse / eundemq̄ iustum et bonū & remuneratorem sperantiū in se omnium plene meritis respondentē ante legem: sub lege: sub gratia. Nemini rectum sapienti venit istud in dubiū. Sine ista nemo vnq̄ ingressus est ad salutē. Verū qui errat in minimis paulatim ad maiora prolabit. Sic iste primo negligens: deinde inobediens: postmodum cōtumax: exinde obstinatus: postremo ad eam prolapsus est cecitatem: vt nec predictum articulum fidei sibi seruaret incolumē. Deū etenim iustum vsq̄ quaq̄ nō credidit: opinans etiam in sanctos post exitum vite huius malignis spiritibus cōcessam potestatem. Nouerat enim sanctū samuelē phitonis nō obtemperasse dū viueret: nec aliquod cū eis inite familiaritatis habuisse cōmerciū. ¶ Nunc vero eum ad phitonis imperium sibi petit & sperat excitari. Vult etiam ad hoc cogi defūctum: ad quod viuus ipellī nō potuit. Regi siquidem noluit indicare dū viueret: nisi quod indicandū dominus inspirabat. Cum autem vidisset mulier samuelē: exclamauit voce magna: & dixit ad saulem. Quare iposuisisti mihi? Tu es enim saul. Se utiq̄ deceptam credidit / & etiam post prestitum iuramentum noticia & presentia principis oneratam. Dixitq̄ ei rex: noli timere. Quid vidisti? Et ait mulier ad saulē: deos vidi ascēdentes de terra. Phitonisse potuerat ab incepto vel tenuis fidei virum deterruisse responsio. Deorū siquidem pluralitatem iducit / & eorum habitationem sub terra & in tenebris esse significat. Dixit ergo saul. Qualis est forma eius? Que ait. Vir senex ascendit & ipse amictus est pallio. Intellexit itaq̄ saul q̄ samuel esset: & inclinauit se super faciē suam in terram & adorauit. Formam illius qui apparebat diligenter inquirat: forte gentiliū errore deceptus eandem habitus & negociorum formam singulis apud inferos credens qua super-

Deorū pluralitas.

stites fuerant insigniti. Vnde illud. Que gratia curruum armo-
 riq; fuit viuis. Que cura nitentes pascere equos. Eadēq; sequi-
 tur tellure repostos. ¶ Sed nonne potuerat sancti viri clarior es-
 se gloria: aut post mortem viuentis habitus immutari? Et qui-
 dem prouide & fideliter non dicit scriptura samuelem phitonis
 imperio suscitātū sed cecitatem impii sensus prudēter expressit
 Ait enim. Audita forma viri & habitu itellexit saul q̄ samuel
 esset. Deceptus utiq; intellexit quod & ex eo probatur quod sub-
 iungit. Et inclinauit se & adorauit. Si enim fuisset samuel: ne-
 quaq; se permisisset ab homine adorari: q̄ fm legem crediderat
 & docuerat vnū deum et dominū adorandum. Preterea sancte
 anime a potestate malignorum spirituum exempte sūt. Postre-
 mo decepti hominis non fouisset errorem: quod eū ex subsequē-
 tibus fecisse colligitur. Dixit ergo samuel ad saulem. Quare in-
 quietasti me: vt suscitarer? Hec est enim fraudulentia maligno-
 rum spirituum: vt quod vltro faciunt & dictant hominibus faci-
 endum: operose dissimulent vt hoc facere videantur inuiti. Si-
 mulant se coactos: & quasi exorcismorum virtute extractos fin-
 gunt: & quo minus caueantur: exorcismos quasi in nomine dñi:
 aut in fide trinitatis: aut incarnationis & passionis virtute con-
 ceptos componunt/eosdemq; hominibus tradunt exercentibus
 eos obtemperant: donec eos secum crimine sacrilegii & pena
 damnationis inuoluant. Transfigurant etiam se interdum in
 angelos lucis/honestā sola precipiunt/illicita prohibent:mundi-
 tiam consecantur: vtilitatibus prouident vt quasi boni & ppi-
 cii familiarius admittantur: audiantur benignius/amentur ar-
 tius: facilius exaudiantur: habitum quoq; induunt venerabiliū
 personarum: vt eis maior & promptior reuerentia impendatur
 ¶ Et ait saul. Coartor nimis. Siquidem philistii impugnāt ad-
 uersum me: & deus recessit a me: & exaudire noluit neq; in ma-
 nu prophetarum: neq; per somnia. Vocauit ergo te: vt ostende-
 res mihi quid faciam. Ac si aperte dicat in desperationis abyssu
 precipitatus sum. Impugnāt homines/deserit deus: & ego
 ad te qui vtrifq; in veritate inimicaris confugio: vt quasi doctor
 discipulum doceas: quid me in tanta angustia oporteat facere.
 Licet enī eū cui loquebar crederet samuel: tñ in veritate erat
 angelus sathane. Nec potuit ei ignorātia suffragari: cū nemini li-
 ceat ignorare creaturam que se appetit adorari/infidelem &
 peruerse voluntatis esse. Sciebat etiam illicitum esse arolos: &
 magos inquirere & de futuris sollicitare phitonem. Q̄ si eum

Virgil. in. vi.
lib. eneid.

Deutero. vi. 7
Leuitici. iiii.

Malignorum
spirituum ma-
licia.

Spūs mali-
gni conant ser-
uire hoibus.

Philistii.

Ad q̄ ignorā-
tia nō patitur.

ignorantia persone excusat/melioris conditionis erunt stulti q̄
 periti/& pueri q̄ recti. Et ait samuel: non equidem venus: sed
 vmbatilis et ficticius: & quo dignus est impius et reprobus cō
 sultator. Quid me iterrogas: cum dñs recesserit a te: & transie
 rit ad emulum tuum? Responſionis initium fidei consentaneū
 est: & accommodū rationi? Quid enī cōferet creatura illi quem
 deus deserit: & cui diripit spolia? Sed sensum ad id quod suum
 est hostis & fidei inimicus diuertit imiscens falsa veris/& men
 dacia fide veritatis obnubilās. Sequitur enim. Faciet tibi dñs
 sicut locutus est in manu mea: & scindet regnum tuū de manu
 tua: & dabit illud proximo tuo dauid: quia nō obedisti voci dñi:
 neq̄ fecisti iram furoris ei⁹ in amalech. Idcirco quod pateris fe
 cit tibi dominus hodie/& dabit domin⁹ etiam tecum israel in
 manu philistinorum. Cras autem tu & filii tui mecum eritis.
 Sed & castra israel tradet domin⁹ in manu philistiim. Exitum
 quidem belli fideliter infidelis exposuit: sed tamen verborum
 tendiculis infidelem & infelicem animam fraudulēter decepit.
 Deuiantis siquidem cōfirmat errorem: & impenitenti post exi
 tum quietem repromittit. Cum enim dicit dominū impleturū
 que locutus est in manu mea: se proculdubio simulat samuele
 per quem sauli que denūciat locutus est dominus. Cum autem
 subiungit cras tu & filii tui mecum eritis: verum quidem: sed frau
 dulenter enunciat. Erat enim in die sequēti sibi manū ex despe
 ratione iniiciens ad inferos trāsiturus: habitur⁹ partem cum eo
 quem auaritia/fastu/obſtinatione mentis fuerat insecut⁹. Sed
 falso blanditur/ingerēs spem quietis: dū se gestu & verbis men
 titur samuelem: cui certum est collatam esse in quiete sedem a
 domino inter eos qui inuocāt nomen eius. Quid ergo sauli sa
 muelis sui vel potius phitonis p̄fuere responſa? Potuerat forte
 nō premunitus sperare meliora: et salutem dū alieno cōfodere
 tur gladio expectare. Oraculi vero vanitate certioratus gladio
 suo incubuit: & in extremis agens dū pprie glorie cōsulebat qui
 fortius mori potuisset in prelio: aurā verborū pertimuit/& in
 firmi & p̄strati animi consilio corporis & anime mortē asciuit.
 Glorientur gentes in fortitudine sua/auctores earū dicāt vnus
 quisq̄ qd̄ sentit: dū herou suorum titulos p̄dicāt: dū magnorum
 virorū fortitudinē preconātur. Bibat illis auctorib⁹ catho vene
 num Vultcius dextras & mentes sociorū armet ad voluntariā
 mortē. Per māmillas ad cor venenū aspidū insanabile deopa
 tra traiciat Lucretia alienam impudiciā sanguinis sui effus

j. Regū. xxxj.

sione cōdemnet. Ego euenire posse nō arbitror: vt cuiuscūq; difficultatis articulo liceat ppria auctoritate homini sibi mortē in ferre: nec etiā vbi castitas periclitat. Licet hūc casum videatur excipere doctor ille doctorū cui in sacrario līrari vix aliquem au deo cōparare. Hec mors oīno desperatorū est: & eorū q; licet corpore viuant iā mentis morte premortui animo viuere desierūt. Vtiq; non viuorum: sed iam mortuorum mors est. Infidelium regūz percurrere seriem. Ieroboam/achab/iezabel/nabugodono: for/sennacherib/& alii quorū errores non sufficio enarrare quid lucrati sint in vatib⁹ suis qui videbant eis falsa & stulta: nec aperiebant iniquitatem eorum: vt eos ad penitentiam prouocarēt. Omnes utiq; euauerunt post principem vanitatis & dum scire quod non licet vel aliter q̄ licet appetunt/ad inane & nihilum redacti sūt. Reges vero israel infidelibus sociati: quia cum regum iuda alii boni alii mali fuerint: reges israel omnes reprobi extiterunt. Lingue archana dei celūq; inquirere quid sit: ait Catho: quia quod de te statuit deus citra tuam sollicitudinem potest expedire. Egregie quidem ethicus. Omnē crede diem tibi diluxisse supremū. Grata superueniet que non sperabitur hora. Veritas autem sibi vbiq; consona est: nec a se licet a mendacii habitaculo proferatur quandoq; discordat: sicut nec mundicia dum sui integritate viget quarūcūq; sordium vicinitate polluit. Ipsa mortem indicit non timeri: & ad eam excipiendam nos horris omnibus precipit preparari: vt quo minus de diurnitate vite presumitur: in cultum honestatis virtutum gradibus auidi⁹ curatur. Mors siquidem necessarium munus est nature iam corrupte. Corruptio nāq; mortis origo est. Tolle corruptionem: sectare integritatem mūdiciē & virtutis/iā immortalitatis viā ingressus es: & quādam diuinitatis tue arcā apprehendisti. Apprehendisti inq; an accepisti? Sed vt fidei⁹ loquamur. & accepisti & apphēdisti. Nō est enī volētis neq; currētis: sed miserētis dei. Quis scit qn̄ veniet: sero/an media nocte/an gallicantu/an mane? Vt enim ille ait. Nihil morte certius est: nihil hora incertius. Que utiq; nō timenda est q̄si malū: sed q̄si malorū finis cū venerit gratāter amplectēda. Vnū est qd̄ totis mētis & corporis viribus fugiendū est. Quid illud sit queris. Turpitudine & totius species inhonesti. Hec enī faciunt mortē terminum non esse malorū: sed antecedentiū et succedētium copulā. Ad hanc fugiendam non oracula vatum/non phitonis consultatio necessaria est: fidelius & ytilius ad hoc ratio data consulit. Catho

De Ieroboam
Achab. Jezabel.
Habuchodonosor. & Senacherib.

Roma. ix.
Marci. xij.
vt. ff. de cōdi. & demō. l. j.

Roma. ix.
Marci. xij.
vt. ff. de cōdi. & demō. l. j.

vt. l. r. ff. de
bonis eorum q
sibi mor. psci.
r. l. f. q. testa. fa
cere pos.
Hic pulchrum
exemplum gentium
q. q. se non de
bet occidere.
vt. l. r. militibus
l. de testa. mi
li. r. l. si q. s. in
prin. ff. de leg.
iij.

Hic sagax p
uisionem nume
erga fallaciam
demonum ipm
ad homicidium
inuitantium.

in libia extreme difficultatis angustia coartatus / hamonem io
ue dedignatus est consultare: ratus sibi rationem sufficere: vt per
suaderet seruadam libertatem. Et non modo dñationis cesaree
iugum sed omnem notam turpitudinis fugiendam / licet in eo er
rauerit: q̄ auctoritate propria vite munus abiecit. Quod non mo
do fidelium institutis: sed constitutionibus gentium & sapientissi
morum edictis constat esse prohibitum. Veteris quidem philoso
phie principes pythagoras & plotinus prohibitionis huius non
tam auctores sunt q̄ precones / omnino illicitum esse dicentes: que
piam milicie seruientem / a presidio et commissa sibi statione disce
dere: citra ducis vel principis iussione. Plane eleganti exemplo
vsi sunt: eo q̄ milicia est vita hominis super terram. Quid sic
tra iubeant oracula vatium: vel responsa phitonis? Proculdubio
minime audiendi sunt: quia cum periculo innocencie nemo cuiq̄ de
bet fide. Si mihi non credis numa romanorum imperatorem fere
innocentissimum preter titum si placet attende. ¶ Dñ inuitare
tur ad homicidium petito capite ad sacrificia: cesuit cepam esse ce
deda reflectens ad innocenciam etiam peruersi numinis voluntatem
At cum hominis adicere a numine: capillos se pollicitur est obla
turum. Cum ho spiritus immundus sitiret & sanguinem piscem im
molandum esse rñdit. Sic itaq; cum ratio eius circumueniri non pos
set: vt traheret ad culpam imundorum spirituum testimonio /
colloquio deorum pronunciat? est dignissimus. Nec est q̄ sub ex
orcismorum preteritu suum quis tueatur errorem qui ad minuendam
demonum potatem: & ad distrahendum qd̄ habent cum hoie fami
liaritatis commertium instituti sunt / carentq; proprie virtutis effe
ctu / nisi in dei digito conualescant. Porro spiritus sanctus discipli
ne effugiet fictum: & corpus peccatis subditum sui esse habitacu
lum dedignatur. Quicquid vero huiusmodi agatur ficticium
est et fantasticum & veritatis substantiam nescit. Videtur quidem
adesse dum precibus & oblationibus inuocatur: & effectu peti
tionem prosequente sacrilegum errantis anime desiderium ad
impletur: abest autem tam longe vt subtracta tutela sui / eos quos
perfidia tanta exagitat / variis ludificationibus demonum trahi
sustineat ad gehennam. Se siquidem ad huiusmodi flagitia pro
hibuit imitari publica voce ecclesie aduersus quam nec porte infe
ri preualebunt. ¶ Cum ergo sancti spiritus gratia auctoritas ecc
lesie improbat / subtrahitur exorcismus / qui eis non tam vtu
tur q̄ abutuntur offendunt in spiritum: quo recedente eius sibi
nituntur virtutem & efficaciam retinere.